







10293

1786, 2.

2

ORDINARIVS  
 SENIOR CETERIQVE ASSESSORES  
 FACVLTATIS IVRIDICAE  
 LIPSIENSIS

LAVDABILITER SVPERATVM EXAMEN

ILLVSTRISSIMI DOMINI

GÜNTHERI S. R. I. COMITIS  
 DE BÜNAU

PVBlice TESTANTVR

---

IN EST  
 COROLLARIVM IVRIS CRIMINALIS  
 VNDEVICESIMVM.





OR DINARIUS  
SENIOR CATHOLICUS ABBAS  
THEOLOGICUS JURIDICAL  
LITURGICUS

LAUDABILITER SERVATUM  
LITURGICUS DOMINI  
GUNTHERI E. P. COMITIS  
DE BUNAU  
LITURGICUS

---

LAUDABILITER SERVATUM  
LITURGICUS DOMINI  
GUNTHERI E. P. COMITIS  
DE BUNAU  
LITURGICUS





---

COROLLARIUM IVRIS CRIMINALIS  
VNDEVICESIMUM.

*De iurisdictione criminali in via regia.*

---

**V**ias regias, quas iure nostro etiam βασιλικὰς, item consulares, ac praetorias, *l. 2. §. 22. D. ne quid in loco publ.* nec non communes, ordinarias, militares, germanice *Land- und Heer- auch Gleits-Strassen*, nec non vti speculum Saxonicum *L. II. art. 59.* habet: *des Königs Strassen* appellamus, *AHASV. FRITSCH de regali viar. publ. iure c. I. no. 7. sq.* si accurate loqui velimus, distinguere debemus a viis publicis, quamvis non ignoremus, vulgo utramque significationem pro vna haberi, vel ipso *VLPIANO l. c. auctore.* At vero cum hic vias vel publicas, vel priuatas, vel vicinales esse dicat, at nihilominus has quoque publicas tunc vocandas putat, quando publico sumtu reficiantur, facile est videre, *VLPIANVM* publicarum viarum naturam non a situ, sed a sumtu, in eas impendendo repetere, vnde melior est ea partitio, qua viae vel in regias, vel vrbricas, vel vicinas, vel priuatas distinguuntur, *FRITSCH. l. c. c. I. no. 18. sq.* quarum hae nihil commune cum vniuersitate, nihilque publici habent, sed plerumque ex iure seruitutum descendunt, inde agrariae quoque dictae *d. l. 2. §. 22.*

A 2

priores



priores vero tres species eatenus publicae sunt, quatenus ad res publicas pertinent, quarum proprietas est reipublicae, vsus omnibus patet, inter quas ea in sensu eminentiori ac proprio publica est, quae, ut vidimus, etiam nomen viae regiae accepit. Id, quod cum nominato iam VLPIANO conuenit, qui *l. c. §. 23. sq. Prinae viae*, inquit, *dupliciter accipi possunt, vel hae, quae sunt in agris, quibus imposita est seruitus, ut ad agrum alterius ducant, vel hae, quae ad agros ducunt, per quas omnibus permeare liceat, in quas exitur de via consulari, et sic post illam excipit via — ad villam ducens: has ergo, quae post consularem excipiunt in villas, — has putem etiam ipsas publicas esse. Hoc interdictum tantum ad vias rusticas pertinet, ad urbicas vero non, harum enim cura pertinet ad magistratus.* Ex quibus verbis intelligitur, quamuis VLPIANVS de nomine viae publicae sibi non satis constet, tamen illam viam regiam seu consularem, quae κατ' ἐξοχῆν publica dicitur, distinguendam esse a viis urbicis et vicinis, adeoque illam incipere non nisi post egressum e ciuitate aliqua vel pago factum, et iterum finire, ingrediendo alium pagum aliamue urbem. Eandem distinctionem seruat FRITSCH *l. c. no. 20. sq.* atque AB EINSIEDEL *de regalibus c. 2. no. 263.* hic tamen urbicis omisiss, quamuis harum nisi maiorem, similem saltem rationem cum vicinis esse, quas vulgo vicinales vocant, per se patet. Inde solent iuris interpretes in via regia vel publica hoc requirere, ut ea ducamur ad ciuitatem, villam aut coloniam, MATH. STEPH. *de iurisd. L. II. p. 1. c. 70. no. 397.*

FRITSCH.



FRITSCH. *l. c. t. I. no. 16.* Interim cū hac, quā diximus, viarum diuisione nō confundenda est eā, qua hodie imprimis in Saxonia Electorali utimur, respectu ad mercaturam et mutuū commercium habito, dum distinguuntur *in die hohe Heer- Stapel- und Land-Straßen, in die innere Commercial-Straßen, et in die Communications-Dorf- und Nachbar-Wege*, quarum istas in Saxonia Electorali ab vno territorii limite ad alterum, per urbem nostram iure stapulae transeuntes, metiuntur, imprimis aurigis onustos currūs vehentibus praescriptas, alteris postae et vehicula minora ad transuehendas ab vno territorii loco ad alterum merces utuntur, vltimae denique ad singulas ciuitates et pagos, praecipuis annonae ac reliquarum rerum quotidianarum promercalium adportandarum causa comparatae sunt. At vero haec diuisio, quamuis pro parte idem nomen teneat, ad rem nostram plane non pertinet.

Ex dictis igitur patet, vias simpliciter publicas, seu regias aliquid singulare habere, quod ipsas tanquam nobiliores ac eminentiores reliquis anteponat, iisque aliquam praerogatiuam tribuat; quod profecto non mirum, cum tanta commerciorum ac peregrinantium vilitas eas commendet. Inde euenit, vt non solum ferē omnium priscarum gentium superstitio viis publicis certos deos fingeret, quos viales appellabant, quibus imprimis commendatae credebantur, de quibus eleganter differit EV. OTTO libro singulari *de tutela viarum publicarum P. I.* (cui tamen, vt hoc obiter addatur, in eo consentire non possumus,

A 3 quaudo



quando deorum vialium cultus vsque ad Theodosii tempora perduxit, quod saltim ex *l. 12. C. Th. de paganis* et reliquis allegatis locis non apparet), sed etiam ita mos omnis aevi tulit, vt cura ac tutela viarum publicarum ad eum pertineret, cuius in republica τὸ κέρδιον esset. Sic CICERO *pro M. Fonteio c. 4.* dicit, ad rempublicam pertinere, viam Domitiam munire, ac inde est, quod in republica Romana aliquando certi magistratus constituerentur, quibus tutela viarum, quae alias censorum atque aedilium erat, concederetur, curatores seu duumviri vel quatuorviri viarum nominati, et quod quilibet imperator eo maiorem gloriam sibi comparasse videretur, quo maiorem curam viis publicis impenderat, OTTO *l. c. P. II.* Eo etiam collineat saepe iam dictus VIPIANVS *l. 2. §. 21. D. ne quid in loco publ. Viae publicae*, inquit, *solum publicum est, relictum ad directum certis finibus latitudinis, ab eo, qui ius publicandi, h. e. pro publica via declarandi, habuit, ut ea publice iretur, commicaretur.*

Haec igitur singularis cura viarum publicarum, quam qui iure magistratus gaudebant, omni tempore sibi vindicabant, procul dubio causa fuit, cur *II. F. 56.* Imp. Fridericus vias publicas inter *regalias* s. regalia referret, quae sententia ab eo tempore, vt par est, omnes interpretum iuris feudalis libros ita peragravit, vt hodie nemo dubitet, *vias publicas regalias*, etsi non maioribus, minoribus tamen, vt vocant annumerare cf. IOH. IOD. BECK *de iurisdictione in responsio adiecto p. 61.* ac qui ibi nominati sunt, nec non omnes



omnes iuris feudalis ac de regaliis scriptores. Haec igitur FRIDERICI verba cum generalia sint, debent etiam generalem intellectum habere, nec per interpretationem coarctari; ex quo fluit, omnem potestatem, inspectionem atque curam circa vias regias apud principes Germaniae esse, eos nempe, qui τὸ κλέριον habent, ac dominium eminens territoriale, exclusis omnibus reliquis, *kraft der landes-hohen ober- und herrlichkeit*, vt dicit FRITSCHIVS *l. c. cap. 3. n. 3.* Inde sequitur, principis territorialis esse, viae regiae causam solum publicare, h. e. ea loca, vbi viae regiae esse debeant, indicare, atque ipsa a ceteris separare, porro, cuiam in iis commeandum sit praescribere, nec non sanctionibus poenalibus omnem a peregrinantibus et vehiculis vim arcere, ac in vniuersum, quicquid circa vias publicas e republica videatur, sancire; ne tacita quidem voluntate exclusa, cum v. g. commeatu publico in aliqua territorii parte per longum usum exercito, is locus pro via publica recte censeatur, FRITSCH *l. c. cap. 2. no. 3. sq.*

Haec omnia eo in primis consilio huc vsque disputata sunt, vt nobis aditum ad sententiam pararemus, principalem in hac scriptiuncula: *iurisdictionem* tum omnem, tum in primis *criminales in via regia esse penes potestatem territorialem*, atque delicta in viis publicis (significatione superioris proposita) commissa, a principe ipso vindicari. Profitentur eam inter reliquos AHASV. FRITSCH *l. c. cap. X. n. II sq.* HORNIVS *Ipr. feud. c. 8. §. 23.* BRVNEMANNVS *Inqu. Proc. c. 3. no. 17.* CARPZOVIVS *pr. rer. crim. qu. II O. §. 39.* ZIRG-

LER



LER *de iur. maieft. L. II. c. 17. §. 30. fq.* KNICHEN *de super. territ. c. 4. §. 239.* SCHILTER *Exerc. ad Pand. 47. §. 43.* alii- que, partim ab istis et a ZANGERO *de except. T. I. P. II. c. 1. no. 241.* nominati, item ex recentioribus I. S. F. BOEHMER *ad CARPZ. d. l. KOCHIVS Inst. iur. crim. L. III. c. 4. §. 687.* atque PÜTTMANNVS *I. Crim. c. 4. §. 72.* Etenim quale argumentum fortius esse potest, hoc primo, quod istae viae ad regalia pertineant. Regalium enim ea natura est, vt propria sint et connexa summae maieftati, ad salutem et decus reipublicae tuendum competentia, CONRAD. CARPZOV. *de regalib. c. 1. aph. 15.* vnde omne vnuscuiusque alius ius atque potestas in ea excluditur. Hanc exclusio- nem eo generaliore quoad vias publicas putant, quo generalior sit earum a Friderico inter regalia facta relatio, qui quemadmodum AB EINSIEDEL *de regal. c. 2. no. 266.* dicit, haud absque consilio eiusmodi verbis illimitatis vsus est, vt nempe omnem circa eas potestatem verborum genera- liter ambiret, atque includeret. Nihilque adeo certius est, non praesumendum esse, principes regalia aliis concessisse, nisi hoc diserte doceatur; quemadmodum generatim om- nis iurisdictionis facta a principe donatio latam interpre- tationem fugit, LEYSER *Sp. X. med. 3.* neque sub ista, gene- raliter concessa, ea, quae ad regalia pertinet, multo mi- nus, quae est in viis publicis, intelligitur, STRVV. *S. I. F. c. 6. §. 22.*

Ex his apparet *secundo*, verum esse, quod interpretes dicunt, si princeps cuidam iurisdictionem in aliqua regio-  
ne



ne ex gratia concesserit, per quam via regia transeat, ad hanc illud beneficium non esse extendendum, STRVV. S. I. F. c. 6. §. 23. no. 2. CARPZ. pr. rer. crim. P. III. qu. IIO. ibique I. S. F. BOEHMER *obsf. V.* potius iurisdictionem in via regia semper principi reseruatam censerit: vnde solent segregare iudicem eum, cui in ista regione iurisdictione data fit, ab eo, cui est iurisdictione in via regia, *der die Straßengerichte hat*, BRVNNEMANN. *Inqu. Proc. c. 3. n. 18.* Sunt quidem, qui contrarium afferunt, vt ROSENTHAL *de feud. c. 5. concl. 21.* et BOCERVS *de regalib. c. 2. no. 145.*, late tamen a nominato EINSIEDELIO *l. c. no. 267. sq.* refutatus. Profecto siculneum est argumentum, a generalitate meri imperii, quod olim proconsulibus, praefecto urbi ac praesidibus prouinciarum datum erat, et ab horum officio prouinciae malis hominibus purgandae *l. 3. 13. D. de off. praef. l. 7. §. ult. l. 8. D. de off. procons. l. 1. pr. §. 4. D. de off. praef. V.* aut ab obligatione priuato, cuius fundus in viam publicam commutatur, illius pretium praestandi, *l. 14. §. 1. D. quemadm. serui. amitt.* aut denique a potestate praetoris Romani priuatis omne opus in via publica faciendum, quo vel deterior vel melior fieret, cohibendi, *l. 1. D. de via publ. et itin. l. 2. §. 20. 35. D. ne quid in loco publ. datum ad iurisdictionem, quam hodie principes ciuitatibus ac subditis quibusdam largiuntur, et ad quaestionem, num eo regaliae reseruae videantur vel minus? At plures, iique saniores auctores, partim iam supra nominati, inprimis HORNIVS *Ipr. feud. c. 8. GAILIVS L. II. obsf. 64. no. 2. ROSEN-**



THAL de feud. c. 5. concl. 20. STRYK ex. iur. feud. c. 8. qu. 6. ZIEGLER de iur. maiest. L. II. c. 12 SIXTIVS de regal. L. 2. c. 2. n. 16. BEN. CARPZ. pr. rer. crim. qu. 110. n. 41. 42. ibique BOEHMER obs. V. PUFFENDORF. de iurisd. Germ. P. I. c. 2. §. 30. hodie non ambiguum credunt: cognitionem criminis in via publica perpetrati non ad illum, qui iurisdictionem altam in illo districtu habeat, sed ad illum, cui maiestas vel superioritas territorialis competat, pertinere, quibus addendus STRUVIUS S. I. F. c. 2. §. 23. ubi dicit: Si castrum cum suo territorio seu omni iure et omnimoda iurisdictione in feudum a principe alicui datur, non tamen is iurisdictionem in via publica habet, licet ab utraque parte eius iurisdictione ipsi competat.

Tertio consideremus ius conductus, das gleitsrecht, die Herrlichkeit des Gleits, a publicarum viarum iure haud plane alienum, quod a plurimis cum reliquis vectigalibus pro noua ac singulari regalium specie ventilari solet, a SECKENDORF teutsch. Fürst. Staat. P. III. c. 3. diuersum tamen a postarum non minus regali iure, atque continetur tum obligatione principis territorialis, iis hominibus, vel subditis vel peregrinis, qui in viis publicis commeant, atque commercantur, nec non mercibus aliisue rebus, quae privatorum aliisue extra cursum publicum vehiculis in via regia transportantur, securitatem praestandi, tum etiam in facultate, in ipsa via a peregrinantibus et aurigis vectigal aliquod, Gleitgeld dictum, accipiendi. Quod posterius quamquam iure veteri Saxonico nisi quoad pontes ac naues illicitum putabatur, L. R. L. II. art. 27. tamen per vniuersum



sum Germaniae usum receptum est, SECKENDORF *teutsch.*  
*Fürst. Staat. p. 420.* et commodissime defendi potest,  
 quia datur in praemium istius securitatis, atque ob sum-  
 tus tum in eam ipsam defensionem, tum in viarum publi-  
 carum conseruationem ac refectionem faciendos. Est au-  
 tem duplex eiusmodi securitas, altera, vt facilis sit et com-  
 moda via, eiusque ita munitum solum, quo vehicula et  
 currus absque periculo trahi queant, altera, vt et viatores  
 ac merces tuti a latronum, raptorum aliorumque malo-  
 rum hominum damno ac iniuria reddantur, inprimis  
 vero vt neces ac spolia auertantur. De huius rei vel uti-  
 litate vel necessitate eo minus quisquam dubitabit, cum  
 quotidiana experientia doceat, multos esse, qui nisi legum  
 feueritate arceantur, ex viatorum depraedationibus viuendo,  
 eos vel sigillatim vel absque magno comitatu euntes  
 adoriri solent. Est autem ea res in Germania satis antiqua,  
 a diffidationum seculis ortum trahens, ac inde quasi sancti-  
 monia quaedam viis publicis nata, SECKENDORF *l. c. §. 1.*  
 quod vel ex duritie poenarum apparet, quibus legum cri-  
 minalium auctores eos afficiunt, qui eam sanctitatem vel  
 furando vel licessendo violare audeant. *Publice enim, vt VL-*  
*PIANVS, quamuis alio sensu ait, l. 1. §. 1. D. de his, qui effud-*  
*utile est, sine metu et periculo per itinera commeari.* Hoc est igitur  
 illud praecipuum tutamen viarum publicarum, quem  
 liberum commeatum appellant, quod ei, qui in republica  
 τὸ κοινόν habet, propterea incumbit, quoniam eas tanquam  
 regalias possidet, et tanquam referuatam, nemini commu-  
 ne.



ne. Vocatur, vt iam vidimus, *conductus*, siue *saluus conductus*, *Geleite*, *sicher Geleite*, quia princeps, dum potestate sua, cura et regimine viatores securos ac liberos ab omni aliena iniuria vsque ad finem viae regiae praefat, eos quasi ipse per integram viam manu ducit, ac comitatur, vnde etiam ipse dicitur, *das Gleit geben*. Interdum etiam accidit, vt aliquis princeps habeat eiusmodi ius conductus in alieno territorio, quo casu non minus cognitio criminum, in hoc conductu commissorum est penes illum, non autem penes dominum territorii, BOEHMER *ad CARPZ. l. c.* Quodsi vero ad effectum huius, securitatem viarum publicarum praestandi, obligationis respiciamus, is valde magnus est, et aequae commodus vtilisque ab vna, quam grauis admodum et incommodus ab altera parte. Est enim communis recepta opinio, si quis viator vel auriga conducto publico fretus, nihilominus in via regia aut a grassatoribus spoliatus sit, aut ipsius viae vitio damnum acceperit, id ipsi ab eo, qui istud regale possidet, resarciendum esse. Iam vetus ius Saxonicum, *Landr. L. 7. art. 27.* praecipit: *Wer einem gleite giebt, der soll ihm für Schaden behüten, oder soll ihm den Schaden gelten*, ac de iure Imperii clara sunt verba *Recessus d. a. 1555. et 1559.*: *Setzen oränen und wollen, wo ferne churfürsten und ständen oder einiger obrigkeit, die sey wer sie wolle, jemand gleit gebe und derjenige darüber auf derselben churfürsten, fürsten, ständen oder obrigkeit gleitstraßen thätlich ergriffen und beschädiget, daß der stand, so solch gleit gegeben, nach gestalt solches gleits den beschädigten seines schadens erstattung*



*stattung zu thun schuldig seyn soll.* Hinc hodie communis est sententia, principes iis, qui per territoria sua in viis publicis iter faciunt, vel merces portant, damna a grassatoribus data resarcire debere, siue securitatem specialiter promiserint siue minus, siue etiam denegauerint, ROSENTHAL *de feudis c. 5. concl. 22.* FRITSCH *l. c. c. 12. n. 10.* GAILIVS *L. II. obs. 64.* qui eam sententiam cum multis aliis ibi nominatis confirmant, atque sic in camera iudicari haud paucis exemplis docent.

Ex his igitur, quae huc vsque protulimus, *quarto* summa aequitatis ratio patet pro defendenda, quam assumimus, sententia de coercitione delictorum in via regia commissorum summae potestati vindicanda. Quodsi enim verum est, vt vidimus, domini territorialis ex iure regali viarum publicarum atque conductus esse, peregrinatores atque vectores tandiu, quam versantur in via regia, tutos atque securos a raptoribus, latronibus, aggressoribus ac omnibus, qui illis iniuriam ac damnum inferre conantur, reddere, et quemadmodum olim praesides prouincias, sic nunc princeps ante omnia vias publicas a malis hominibus purgare, quid aequius, quid iustius cogitari potest, quam his etiam in viis dominicalibus iurisdictionem criminalem referuare, non solum ad maiorem terrorem inueniendum certamque puniendorum criminum confidentiam faciendam, verum etiam vt, commisso aliquo in via delicto, is qui loco principis curam viarum habet, facinorosos eo facilius deprehendere, eo efficacius persequi



ac fugitivos eo citius capere queat; cum e contrario experientia erudiamur, eiusmodi casu alias haud parum temporis teri, quod profit, delinquenti ad fugam, si nempe vasalli aut ciuitates, mero imperio gaudentes, aut sua sponte aut praeuia demum requisitione, perpetratum crimen persequi debeant. Accedit, quod hic infimul ratio fori delicti habetur, quod, vti constat, omnibus reliquis foris criminalibus praeferri meretur, vid. *coroll. iur. crim. I. p. VI. et coroll. XI. p. I.*

Constituta nunc ipsa doctrina, de qua disputamus, quaestio videtur superesse de *mensura viae regiae*, tam quoad proceritatem, tam quoad *latitudinem*. Et de hac posteriore quidem hic nihil attinet dicere, nec qualis ea ex legibus vel vsu communi esse debeat, disputare, cum per se pateat, iurisdictionem criminalem in via regia nec latiore nec angustiore esse posse, ipsa via. Adiacens vero terra vel iter prope viam non est ipsa via, adeoque iurisdictioni eius, qui istic merum imperium habet, per iurisdictionem in ipsa via regia nihil derogandum est, sed manet ipsi salua et integra. Hinc euenit, vt cum aliquando Praefectus L. corpus hominis mortui, iacens in terra prope viam regiam, solenni ritu, vt mos est in eiusmodi casu tragico ad firmandam iurisdictionis possessionem, susceperat, conquerente senatu, Princeps potentissimus d. 26. Febr. 1744. illi referberet: *Allermassen nun euch keinesweges gebühret, die auf der Holzweissiger Post verunglückte und an der durch die Eudritzcher Mark gehenden Landstrasse todt gefundene Person durch die Amtslandgerichte*



*landgerichte aufzuheben*; nam quod bene notandum, hic de morte feminae casuali agebatur, non de homine per eadem interemto. In homicidio vero, si corpus occisi iaceat in confinio viae publicae aut non procul ab ea, anceps est quaestio: ad quem iudicem perpetrati delicti cognitio pertineat? Nos vero nec nunc pudet, opinionis olim *Corroll. iur. crim. 1. p. X. sq.* susceptae, qua in quaestione de foro delicti diximus locum ipsius criminis perpetrati considerandum esse, non eum, ubi effectus eius cernebatur, v. g. quando illic vulneratus alibi cecidit. At vero, quando in ipso limite interfectus iaceat, diuersis corporis partibus diuersarum iurisdictionum terras prementibus, placeet nunc mutare sententiam priorem, et *CARPZOVII* potius adoptare, qui *pr. crim. P. III. qu. 110. n. 25. sq. et Resp. L. II. 1. 28.* in ambiguitate pro eo iudice respondit, in cuius finibus pedes occisi procumbunt, cum verosimile sit, eum tunc vulnus lethale accepisse, cum adhuc pedibus staret; nisi forte ex longinquo per plumbum ex scopeto emissum sauciatus. Sane hic omnia vel testium depositionibus vel coniecturis efficiuntur, quibus elici possit, num, qui homicidium aliudue crimen perpetraret, in via regia, an vero sub eius iudicis iurisdictione, cui illi est merum imperium, steterit, quas coniecturas recte etiam *FRITSCHIVS l. c. c. 10. §. 22.* atque *EINSIEDELIVS l. c.* commendant.

Hacc de latitudine et confinio viae regiae. Venimus ad proceritatem vel *longitudinem*, ubi in memoriam retinendum



dum est discrimen, iam supra obseruatum inter vias regias, vrbicas et paganas, quarum has a publicis proprie dictis seu regiis fecerimus, et cuius rei in primis erat locus classicus VLPYANI, qui et ipse *l. c. §. 22. D. ne quid in loco publ.* viam consularem distinxerat ab aliis, quae hanc demum exciperent, atque ad villas aut pagos ducerent, hoc est, vrbicas et vicinas. Sentit autem nobiscum vir magnae auctoritatis I. S. F. BOEHMER, qui loco saepe adducto haec habet: *Viam publicam accipio pro ea, quae extra pagum vel ciuitatem est, quaeque simulac quis pagum ingreditur, regalis esse desinit, et in ciuitate vel pago ordinario loci magistratui subest, ac similiter ZANGERVS l. c. no. 242: extra pagum vel ciuitatem via publica tantum dicitur, et statim atque ingreditur pagum, desinit esse via publica.* His igitur praestructis quaestio oritur non extra omnem dubitationem posita: quale sit initium viae regiae egredienti ex vrbe, et num longitudinem eius metiri debeamus ab ipsa porta vrbis, an vero a continentibus aedificiis, vt putat ZANGER *l. c. no. 243.* incongruo argumento ex *l. 154. D. de V. S.* sumto; an denique a finibus Weichbildi, quod exinde videri possit, quia ea, quae intra limites Weichbildi aguntur, iure ciuitatis istius censi solent; cui forte addi posset, quod in superius memorato Mandato El. Sax. *vom Straßenbau d. 8. Apr. 1781. §. 9.* singulae ciuitates ad reparandas vias regias vsque ad limites Weichbildi adiguntur. At, quoniam ciuitates limitibus murorum portarumque, quas non minus a beneficio principum habent, circumferibantur, adeoque ciuitas



tas sit intra portam, non extra eam, aequum erit, eorum iam dictam sententiam approbare, qui viatorem non prius de via regia decedere statuunt, quam vsque dum ipsam urbem intrauerit; fere, quemadmodum princeps territorialis, quando ius intradae exercet, proficiscens in via publica ad ciuitatem, a magistratu clauis urbis non sub initium districtus Weichbildici, verum adueniens demum ad portam accipit. Fundorum vero in vtroque viae regiae latere iacentium, cuiuscunque iurisdictionis, nullam tunc rationem haberi, quando de illius criminali iurisdictione agitur, supra vidimus; cf. BRUNNEMANN. *Inqu. Proc. c. 3. no. 17.* quemadmodum nec ciuitatum ad reparandam viarum regiarum partem aliquam obligatio, quam in Saxonia Elect. allegatum Mandatum ipsum ex recepta obseruantia redundare dicit, ita comparata est, vt pro ea princeps iuri suo regali tacite renunciaſſe videatur. Accedit, quod cum omnis regalium interpretatio plenior esse, et in principis commodum dignitatisque augmentum venire solet, profecto non habemus, cur viae regiae significationem in hac nostra quaestione magis restringamus, quam dilatemus.

Habes, Lector Beneuole, quae de ista re in vniuersum dicere nobis visa sunt, videsque, eo iam completas esse tot paginas, pluresque, quot eiusmodi occasione compleri solent; vnde inuiti cogimur, ea, quae de iure Electorali Saxoniae

C

super-



supererant, in proximum tempus relicere. Nunc igitur redeat oratio nostra ad eum, unde in inscriptione coepit, Virum illustrissimum, GÜNTHERVM, Comitem de BÜNAU. Gens Bünauia diutissime in hac celebritatis fama versata est, vñ, quamuis multae sint in Saxonia gentes generosissimae, quae viris scientia et doctrina claris splenduerint, tamen illa reliquis hoc nomine fere palmam praeripere videatur. In primis hoc seculum eruditissimis Bünauiis, qui litterarum amore et scientia ad summa munera euecti sunt, fertilissimum fuit. Vel vnum nominasse sufficiat. Quis ignorat illum *Henricum*, quem propter excellentiam *doctum Bünauium* appellare mos est, celeberrimum historiae imperialis scriptorem, ac famosissimae bibliothecae collectorem, terrarum Isenacensium aliquando vicarium rectorem, beneficio imperatorio ad Comitis dignitatem euectum? Is habuit fratrem *Rudolphum*, singulari quoque eruditione praeditum, quondam praesidem Fisci Electoralis Saxonici Steueralis, ac duos filios, alterum *Henricum*, et ipsum multifario doctrinarum genere repletum ac coruscantem, diuersorum ducum Saxoniorum, dum viueret, in Comitibus Ratisbonensibus Legatum, *Güntherum* alterum, quem non minus litteris tum antequam militiae nomen daret, diligenter operam nauasse, tum eas adhuc maxime amare, scimus. Horum itaque virorum illustrium, quorum primus NOSTRI auus, secundus patruus magnus, tertius patruus fuit, vltimus denique ipse pater est, quique singuli suo tempore cum studiis incumbere, academie



niae nostrae magno ornamento fuerunt, tres priores  
singuli olim apud Ordinem nostrum, suscepto sponte ex-  
amine, eruditionem suam professi sunt; horum igitur ex-  
empla imitatus est NOSTER, vitam agens hucusque eam,  
quam sequentibus verbis ita descripsit, vt simul gratitudi-  
nis documentum esse possent erga eos, quibus quicquam a  
se deberi persuasum habet.

**N**atus sum Woelkauiae, quae villa est illustris S. R. I. Comitibus  
*Vicedomini ab Eckstaedt*, legati copiarum equestrium Saxon. et urbis  
Lipsiensis praefecti, aui pie colendi, die xvii. Iun. a. c. MDCCCLXVIII,  
patre GVNTHERO S. R. I. Comite BVNAVIO, Dahlenii  
et Poeplicii domino, turmarum Regis Galliae duce, ordinisque  
francogallici pro virtute bellica equite, et matre IOANNA ERD-  
MUTHA e gente equestri SCHOENFELDIA. Quorum quidem  
optimorum parentum cura vnice in eo versata est, vt a primis in-  
de vitae annis, qui negligi vulgo solent, mentem teneram ani-  
mumque ipsi formarent et ad sensum recti honestique excitarent  
praeceptorum bonitate exemplique praestantia. Neque vero tan-  
tum contigit mihi diuinitus rara felicitas, vt parentes venerarer,  
qui plurimum temporis et negotiis et otio detraherent meaeque



impenderent educationi, sed mature etiam in institutione ac disciplinae praeceptorum commiserunt, quos ipsi peritissimos probissimosque legerant. Primum enim GELBRIVS, nunc sacri fenus Gothani Assessor, puerilem animum primis litterarum religionisque initiis imbuit tanta cum arte et diligentia, ut et suavis redderetur et facillimus discendi labor. Aliquot annis post HERMANNVS, nunc vectigalium ex fundis soluendorum in Circulo Lipsiensi Reuisor, educationem et institutionem adolescentiae suscepit, eamque ita per decem et quod excurrit, annos, persecutus est, ut plurimum sit, quod ipsi debeam. Neque enim ipse tantum fideliter bonas me litteras docuit, sed et excitauit, aluit, inflammauitque meum earum amorem, animoque insillauit sensus illos liberales, moresque ingenuos, sine quibus facile a recto tramite aberrare prima adolescentium aetas potest; mansitque in Academia etiam assiduus studiorum meorum dux atque comes. Matre dulcissima, cuius memoriam eo sanctius semper colet animus, quo magis ille ab ipsa emollitus formatusque est, ante hos septem annos orbatum amplexus est, fouitque pater singulari studio ita, ut, quam partitus antea cum b. matre fuerat, mei curam, hanc nunc solus egregie sustineret. Neque enim vlla pars vitae meae et morum et studiorum fuit, quam non ipsius prudentia monitis regeret, exemplisque iuaret. Atque utinam paternae curae vita mea omnis  
 respon-



respondeat! Cum satis praeparatum pectus me gerere venerandus pater iudicaret, HERRMANNO comite anno huius seculi LXXXII Academiam Lipsiensem adire et a summe venerando BURSCHERO Rectore magnifico in ciuium academicorum numerum me referri iussit. Inde ab eo tempore Viris doctissimis, qui in hac Academia litteras optimas profitentur, operam dedi, et quidem in litteris latinis cognoscendis BECKIO, cui permulta me debere lubentissime fateor, in antiquitatibus romanis REIZIO, in philosophicis CAESARI et PLATNERO, in historicis BECKIO, WENKIO et SEGERO, in mathematicis et physicis SEIDELIO, in historia naturali LESKIO, in theologia morali MORO; et ad Iurisprudentiam ediscendam conuersus, scholas adii SEGERI in iure naturae, SCHOTTI in encyclopaedia iuris, IVNGHANSII et RICHTERI in institutionibus et prioris in historia iuris R. SEGERI in iure publico vniuersali, BIENERI, cui magnopere obstrictum me sentio, in pandectis, ARNDTI in iure publico germanico, SCHOTTI in iure priuato germanico et criminali, RAVII in feudali, GÜNTHERI in canonico, et KINDII in processu iudiciali. Quorum quidem doctorum summe venerandorum, quanta in me sint merita, publice priuatimque collata, satis praedicare non possum. Auxit vitae academicae felicitatem dulcedinemque mirifica illa beneuolentia, qua me ornarunt auia materna, auisque



venerandi fenes, quibus diuturniorem faustamque deus largiatur vitam. In ipsorum enim domo, sede illa humanitatis ac honestatis et hospitio doctorum omnium, inueni multa, quae ad virtutem et grauitatem cohortarentur, plurima, quae ingenium animumque expolirent.

His addi a nobis debet, eundem Comitem DE BÜNAU, dum in academia nostra versaretur, ingenii mansuetudine, morum comitate, virtutis amore, scientiarum cupiditate, ac studiorum assiduitate ita conspicuum fuisse, vt reliquis exemplum praerberet, omnibus ac singulis amabilis esset. Effecit autem hac sua diligentia, vt, cum nuper constituisset, aliorum iudicium de parta sibi in praeceptorum scholis iurisprudentia, cognoscere, adiret Ordinem Nostrum, atque solenni se examini subiiceret. In hoc igitur per aliquot horarum spatium quaestionibus ipsi ex omni iuris scientiae genere propositis sic promte et adaequate respondit, vt vnanimitèr a Collegio omnino et prae ceteris dignus putaretur, qui amplis in republica muneribus adornaretur, a nobis vero publice commendaretur. Gratulamur profecto hanc inde gloriam natam non solum ipsi Comiti nostro, sed etiam illusterrimis auctori ac auiacque, quibus omnes in hac vrbe boni placidam



placidam senectutem precantur, nec non patri illustrissimo, atque ex animo optamus, vt praesentem laetitiam mox alia post aliam, publicorum munerum acceptorum causa, subinde sequatur. Quae omnia vt palam fierent, hanc tabulam publicari nostroque figillo muniri, curauimus. Scrib. Dominica Inuocauit a. CIÖCCCLXXXVI.

---

EX OFFICINA SAALBACHIA.





placidam tranquillitatem presentem nec non patri illusterrimo  
 aene ex animo optaverit presentem salutem maxime illi  
 post aliam publicorum inuentionem necessarium cuius sub-  
 iaceat sedatur. Quae omnia ut supra fuerint, ita sub-  
 iam publici nosseque filio inuentione, salutem. Deum  
 Dominica inuenitur a. cruce. xxviii.

EX OFFICINA CAESARIS  
 ...



...





ULB Halle  
005 483 018

3




vd 18











10293

1786, 2.

2

ORDINARIVS  
SENIOR CETERIQVE ASSESSORES  
FACVLTATIS IVRIDICAE  
LIPSIENSIS

LAVDABILITER SVPERATVM EXAMEN

ILLVSTRISSIMI DOMINI  
GÜNTHERI S. R. I. COMITIS  
DE BÜNAU

PVBlice TESTANTVR

---

IN EST  
COROLLARIVM IVRIS CRIMINALIS  
VNDEVICESIMVM.